P. Reenberg

de persona et officio Eliæ

Matth. XVII., 10-11.


Hafn., 1700.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

1,_ 221.
DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 012747
+REX
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
PERSONA & OFFICIO
ELIÆ

QVAM ex

MATTH. cap. XVII. v. 10. 11.

Auxiliante Deo & conſentiente Facultate Theologica

In Regia Univerſitate Hafnienſi

Sub præſidio

Viri Nobiliſſimi Ampliſſimi

JOHANNIS BARTHOLINI

S. S. Theologiæ D. & Reg Acad. Hafn. P.

Die 5 Aprilis Anno M. DCC.

publico examini ſubjicit

Auctor & Reſpondens

PETRUS REENBERG.

1107

HAFNIÆ, Typis Conradi Neuhofi Viduæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

Imprimatur,

J. BARTHOLIN.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

ILLUSTRISSIMO GENE-
ROSISSIMO
D^NO. FRIDERI-
CO JUUL
SERENISSIMÆ REGIÆ
MAJESTATIS STRENUISSIMO EQVI-
TUM MAGISTRO, DOMINO
DE VILLESTRUP.

Patrono ſtipendii Juliani

VIRO

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

DET KON
DA 1.-2.S
11010

VIRO
Plurimum Venerabili, Nobiliſſimo, Ampliſſimo
HENRICO GERNERO
S. S. Theologiæ Doctori, Epiſcopo Dioeceſeos Viburgenſis vigilantisſimo & Canonico Templi Cathedralis meritiſſimo.

VIRO
Clariſſimo & plurimum Reverendo
Mag. SEVERINO PALUDANO
S. S. Theologiæ apud Viburgenſes Lectori Digniſſimo & Templi Cathedralis canonico meritiſſimo.

VIRO
Clariſimo & plurimum Reverendo
Mag. SEVERINO SEVEL
Paſtorſi apud Viburgenſes Templi Cathedralis, & Præpoſito Nomarchiæ Norliung digniſſimo nec non Canonico meritiſſimo.

VIRO
Clariſſimo & Doctiſſimo
Mag. JANO REENBERG
Rectori Scholæ Viburgenſis & Canonico,
Patri honoratiſſimo

Stipendii Juliani Ephoris & Patronis maxime colendis, pro impetrando eodem Stipendio primitias haſce Academicas humillimè
Dedico,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

I.

ANtiqviſſima illa perverſaq́;, qvam de mundano Chriſti regno deq́; Eliæ adventu, qvi Chriſti eſſet præcurſor, Judæi conceperant, opinio tam altè animis diſcipulorum hæſit infixa, utilla occupati Sermonem Chriſti de morte & reſurrectione ſua Matth. XVI v. 21. Marc. IX. v. 31. 32. Luc. XVIII. v. 34 Joh. XX. v. 9. non perceperint. Ob illam igitur qvam de regno hocce fovebant ſpem ubi Eliam Prophetam viderunt in transformatione Chriſti in monte crediderunt illum eum in finem apparuiſſe, ut officium ſuum aggrederetur. Ubi verò animadverterunt Eliam iterum e conſpectu illorum aufugiſſe, nemine niſi ſolo Jeſu relicto, videntes ſe falſa & inani ſpe deceptos eſſe inciderunt in qvæſtionem illam de Elia, qvæ Matthæi XVII. v. 10. 11. diſcribitur τί οὖν οἱ γραμματεῖς λέγουσιν, ὅτι Ἠλίαν

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον v. II. Ὁ δὲ Ἰησοῦς, ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς Ἠλίας μὲν ἔρχεται πρῶτον, καὶ ἀποκαταστήσει πάντα. Qvibus verbis Chriſtus non qvidem taxat ſententiam diſcipulorum de præcurſore Eliæ, ſed hoc taxat qvod ex malè intellecto loco Malach IV. v 5. ipſum Eliam venturum, & non recte de Eliæ officio hoc dictum interpretati fuerint, auſpiciis igitur hujus dicti Perſonam & officium Eliæ in hac diſſertatione auxiliante Deo conſiderabimus.

II.

Qvam antiqua qvam conſtans apud Judæos fuerit ſententia illa de adventu Eliæ, facile patet ex Matth. XVI v. 14. XXVII 47. 49. unde etiamnum ſpe illa, qva ſibi certiſſimè adventum ejus pollicentur, non parum ſe conſolantur hodierni Judæi, Ter enim in frontispicio libri *Minhagim* precantur: *Elias Propheta, Elias Propheta, Elias Propheta cito veniet ad nos cum Meſſia Filio Davidis.* Licet autem omnes tam Chriſtiani quam Judæi uno ore conſentiant Eliam fore Meſſiæ præcurſorem, eumq; ad officium qvoddam mitti debere, atteſtante id Propheta Malachia cap IV v 5. Longè tamen & de Perſona ejus & de officio illi ab his diſſentiunt, imo

ne

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

ne una qvidem eademq; Chriſtianorum mens eſt de officio & perſona ejus, varias igitur de utroq; proferamus ſententias ex qvibus veram eligamus.

III.

Et qvidem primo perſonam Eliæ qvod attinet, in diverſas ſcinduntur ſententias, alii enim ipſumEliam in corpore venturum volunt, aliiProphetam qvendam Eliæ ſimilem. Illi iterum qvi priorem tuentur ſententiam non idem ſentiunt, nonnulli enim putant Eliam ſemper in corpore manſiſſe, alii vero negant & inter hos eſt Kimchi ſic enim ad Mal IV.v.5 (a) *Reſtituet, inqvit Deus animam Eliæ, qvæ aſcendit olim in cœlum, in corpus creatum inſtar corporis ejus prioris: nam corpus ejus primum ad terram rediit, cum ille aſcenderet in cœlum, unumqvodq; Elementum in Elementum ſuum. Cum autem eum vivificaverit Deus in corpore mittet eum ad Iſraelem ante diem judicii.* Contra vero ex (b) Ab: Ezra colligi poteſt cum ſemper in eodem manſiſſe corpore atq; in diebus ſanctorum apparuiſſe unde eti-

 am

(a) Lightfoet. Hor. Ebraic. in Matth. XVII, 20. Pocok. in not. Miſcellan. ad Port Moſ. cap. 6. p. 218.

(b) Lightfoot. l. c.

am ad Eſth. VII 9 proponit Charbonam fuiſſe Eliam illumq́; viſum fuiſſe Regi ac ſi eſſet unus ex ſatellitibus, & *Abarbanel in* II Reg II *aſſerit eum multoties apparere debere Prophetis & ſapientibus in ſcholis eorum, Nachman ait.* (c) *Corpus ejus haud unqvam eſt depoſitum nec ab anima ſeparatum, manetq́; ab eo qvo fuit tempore in æternum. Ralbag in comment. ad* I. Reg XVII *ſic ſcribit de Elia.* (d) *Non mortuus eſt nec voti compos factus, dum* (I Reg. XIX. v. 4.) *ait, tolle qvæſo animam meam! idcirco invenies qvod Malachias dicat, Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam cum He Emphatico ſc.* illum *ipſum Eliam Thesbiten.* Abarbanel ad utramq́; partem ferè propenſus in medio interdum rem relinqvit, Ita enim ad Mal. IV. commentatur: *Indicat illis Deus qvod primus qvi in reſurrectione ſurgat erit Elias Propheta ſive vivat poſtqvam conſumtum fuerit corpus ejus poſt aſſumtionem ſecundum ſententiam recentiorum nonnullorum, aut modo miraculoſo exiſtat in corpore, & anima manet in cœleſti paradiſo, & mittat eum Deus anteqvam advenerit dies magnus & terribilis, qvi eſt dies judicii omni viventi.* Ad II Reg. 2 Poſtqvam fuſè protulit ſententiam aliorum tandem in-

(c) Pocok. l. c.
(d) Friſchmuth diſſert. de Eliæ adventu cap. II. §. 25.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

inſert: *Ecce non invenimus in ſcriptura, qvod uſurpatum fuerit de Elia vocabulum mortis ſicut de Moſe & de reliqvis Prophetis, qvod indicat corpus ab anima ipſius non fuiſſe ſeparatum modo univerſali hominum morientium ſecundum ordinem naturæ.* Et paucis interjectis pergit: *Ecce non opus eſt ut credamus verbis eorum (qvi ſtatuunt) qvod corpus illius fuerit combuſtum & veſtes ejus in parte iſtius aeris vel in elemento illius ignis, qvi ſupra eundem (aerem) eſt, aut qvod anima Prophetæ fuerit ligata in faſciculo viventium cum Deo, ſicut reliqvorum Prophetarum & juſtorum celebriorum animæ - - - - -*
Et propter hoc credo ego verbis ſapientum noſtrorum b. m qvod tempeſtate ſublatus ſit Elias in cœlum, ſc. in aere, & qvod ſuſceperit eum tempeſtas & ventus ſuſtulerit eum in Paradiſum terreſtrem, ubi cum anima & corpore commoratur, qvicqvid autem de corpore Eliæ fingunt citati auctores in eo tamen conveniunt, eundem Eliam Thesbiten præcurſorem fore Meſſiæ, qvem apud Judæos antiqviſſimum fuiſſe errorem probant non ſolum dicta N. T ſupra ſect. 2da allata ſed & Syracides qvi ad eandem videtur inclinare ſententiam cap XLVIII. v. 10. 11. Septua-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

ginta etiam Interpretes pro Elia Propheta vertunt Mal. IV. 5. Ἠλίαν τὸν Θεσβίτην.

IV.

Nihilo tamen minus alii e diametro his ſupra dictis repugnant, qvos reliqvorum ſententiis opponimus, volunt nimirum alium mittendum eſſe Eliam virtute & excellentia Eliæ ſimilem unde Tanchum hoc modo. (e) *Eſt hoc ſine dubio promiſſum de Propheta in Iſraele manifeſtando, paulo ante tempus manifeſtationis Meſſiæ, qvem qvidam e-doctis putant ipſum Eliam Thesbiten futurum, qvæ ſententia in plerisq; ſcriptis homileticis reperitur, at alii conſent Prophetam magnum fore parilis cum ipſo gradus eodemq; loco conſtitutum qvoad cognitionem Dei & nominis ipſius promulgationem, ideoq; Eliam appellari.* Si repetierimus Abarbanelem videbimus illum immemorem eorum qvæ antea ex ipſo recitavimus, dubitabundum explicare mentem Rabbinorum ad Malach ult (f) *Forſan prout illi (qvorum ſententiam in antecedentibus ex Medrash ſchocad Tobh propoſuit) explicant juxta ſenſum literalem, eadem eſt ratio hujus promisſionis de Eliæ*

(e) Pocok. l. c. p. 219.
(f) Friſchmuth diſſert. de Eliæ adventu cap. II §. 29.

Elia ſc. *ac illius Eſ. XLII. v. 2.* & *Ezech. XXXIV. v. 24. Et ſervus meus David princeps in medio illorum.*

V.

Ex hiſce patet eodem modo (qvo exdictis Eſ. XLII & Ezech. XXXIV. non ipſe David ſed alius Davidi ſimilis innuitur ſecundum ſenſum literalem) ita qvoq; non ipſum Eliam in perſona ſed alium illi ſimilem indigitari. Ipſum autem Davidem intelligi diſerte negat Abarbanel Eſ. XLII v. 2. dicens nimirum qvod Meſſias *illa ſit iſte David cui anima mea complacuit.* Et ad Ezech. XXXIV. ſibi ipſi qværenti qvomodo David qvi ante multos annos jam mortuus erat ſuper illos regnare potuit, his verbis reſpondet. (g) *Rex Meſſias vocatur David eò qvod ex ſemine illius oriundus ei ratione vitæ & modi regnandi ſimilis eſt.* Frivolum vero eſt & nullius momenti qvod ſtatim ſubjungat ſententiam Cabbaliſtarum, animam ſc. Davidis per μεθεμψύχωσιν (h) transſire in Meſſiam qvam Philoſophorum veterum ſententiam fuſè adſtruit in comment in Leg fol. 386. col. 2. & ſeqv. adducens Socratem, Pla-

(g) Friſchmuth l. c.
(h) Jacob Alting. Prolegom. in Jerem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

Platonem & Pythagoram qvos iſtam a Prophetis opinionem hauſiſſe non dubitat aſſerere conatus ſententiam hanc ex Danielis c. XII. v. 2. defendere, *Et multi ex his qvi dormiunt in pulvere terræ evigilabunt hi ad vitam perpetuam & hi ad opprobria & abjectionem perpetuam*, per multos enim intelligit non omnes ſed illos tantùm qvi primò corpus habuere, judicandos fore. (i) Hinc non minus impie blasphemat in Maſchmiah Jeſchuah animam Eſavi in Jeſum Nazarenum per μετεμψύχωσιν transmigraſſe. In commentariis igitur ad Ezech XXXVII. clarius exponit qvare Meſſias vocabitur David. (k) *Ecce (inqvit) Rex Meſſias vocatur David qvia erit de ſemine ejus, & incedens in viis ejus & indolem ejus ac mores ejus exprimens, Nam ſicut Reges Ægypti omnes dicti fuere diu Pharaones deinde Ptolomæi, ſic etiam Rex Meſſias & omne ſemen ejus vocabitur David, in teſtimonium qvod erit de ſemine ejus inſidens ſolio ejus timens Dominum & recedens a malo ut David.* Hactenus Abarbanel. Sic & *Meſſiam vocari etiam Salomonem aſſerit Abendana in not ad Michal Jobhi. ad Pſ. LXXII.* Hinc uti Meſſias vocatur David & Salomon ſic qvoq;

(i) Friſchmuth l. c.
(k) Jacob. Alting. l. c.

qvoq́; præcurſorem Meſſiæ Eliam vocandum eſſe patet, unde ita conludit *Manaſſe Ben Iſrael libr. III. cap. 7. de Reſurrect. mortu. Qvicqvid ſit, veniet præcurſor aliqvis, qvi animos hominum flectat ac probè diſponat, ne terra anathemate percutiatur.*

VI.

Diſcipuli igitur ex reſponſione Chriſti dicentis: *Elias jam venit*, ita edocentur, ut clarè ſatis intellexerint nomen Eliæ non *ſubjective & Perſonaliter* accipi debere, qvaſi adventum Meſſiæ præcederet ipſa perſona Eliæ Thesbitis, ſed *objectivè & virtualiter*, qvod alius qvidam, nempe Johannes, per Eliam indigitaretur, qvi vitâ moribus & operibus Eliam repræſentavit; adeoq́; Chriſtus ipſe etiam Matth. XI. v. 14. ait *ipſe eſt Elias ille, qvi venturus erat.* Negavit qvidem Johannes ipſe ſe eſſe Eliam Joh. I v. 24, interrogatus nimirum eſſetne Elias? ille ſc. Thesbites, qvi vivus in coelum aſſumtus erat; tantum tamen abeſt, ut unqvam negaverit ſe eſſe Eliam illum a Malachia prædictum, ut potius claris verbis id innuatur Luc. I. v. 15 16. 17. 76. 77. Et ſanè, ſi comparemus Johannem cum Elia in Zelo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

typia, in reſtaurando vero Dei cultu, in increpando tàm Politicos, qvàm Eccleſiaſticos, in cultu corporis, in auſteritate vitæ atq; habitationis loco, nullô modò inter ſe diſcrepant (l) Addunt & illud Rabbini Eliam ſc. venturum è ſtirpe Aaronis, cum qvibus conſentit Epiphanius (licet a qvo ſuam repetat originem incertum ſit) e qva ſtirpe etiam Johannes prodiit.

VII.

Nec obſtat qvò minus Johannes pro Elia illo haberi poteſt, qvem Malachiæ capite ultimo nobis promiſit Deus, licet non urſerit, nec inculcaverit Moſis legem, qvam tamen Propheta admonet populum, ut ſervet, dicendo. *Recordamini legis Moſis ſervi mei, cui præcepi in Chorebo ad totum Iſraelem ſtatuta & jura; Ecce ego miſſurus ſum vobis Eliam &c.* Uti enim Malachias numerum Prophetarum clauſit, dictus ob eandem cauſſam *ſigillum Prophetarum*, ita etiam prævidit nullum Prophetam ante Magnum illum a Moſe prædictum, ex populo oriturum, ne igitur eo temporis intervallo, aut penitus intercideret, aut a corruptelis humanis labem contraheret doctrina a Moſe tradita & poſt eum

(l) Gebbard. de conſenſ. Judæor. cum Joh. Baptiſt. in doctr. de factis Meſſiæ §. 3. Micræl. Hiſt. Eccl. l. I. Sect. II. q. LVI §. 13.

eum à Prophetis inculcata, ſeriò admŏnet populum, ut legem Moſis, ad qvam ceu normam cultum ſuum actionesq́; componerent, diligenter cuſtodirent, usque qvò veniret Elias, qvi eos inſtrueret, qvando & qvomodo Meſſiam reciperent. Promittit igitur eis præcurſorem, qvi ante adventum Meſſiæ corda hominum præpararet. Debebant enim ſemper recenti memoria retinere oeconomiam legalem a Moſe traditam, usq́; ad Johannis adventum, qvi ipſum Meſſiam, ut antitypum hujus œconomiæ & a Prophetis prædictum, digito illis commonſtraret manibusq́; qvaſi palpandum exhiberet.

VIII.

Licet autem luce meridiana clarius videatur non ipſum Eliam venturum, ſed per Eliam, de qvo loqvuntur diſcipuli, intelligi Johannem, nihilò tamen minus Pontificii (m) aſſerunt ipſum etiam Eliam ante diem extremi judicii venturum, circa adventum ſc: Anti-Chriſti, cui ſeſe opponat, qvam ſententiam probare conantur variis argumentis, & imprimis afferunt *Mal. ult.* (n) *Ecce ego mittam vobis Eliam, anteqvam veniat dies Domini magnus & terribilis.* Deinde

 hunc-

(m) Gerhard. confeſſ. Cathol. de Ant. Chriſto lib. II. Art III cap. 6

(n) Chamier. Panſtrat. Tom. II. de AntiChriſto lib. XVII. cap. VI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

hunc locum *Matth. XVII.* Ubi Chriſtus dicit. *Ecce Elias venturus eſt*, qvoniam verò tunc temporis veniſſe Johannem certum erat, volunt Chriſtum de vero Elia & non de Johanne loqvi. Urgent etiam id, qvod Chriſtus de Johanne dicit *Matth. XI. v. 14. Si vultis eum recipere, ipſe eſt Elias*. Id enim allegoricè ſaltem Johanni applicant hôc modô: Elias qvidem in ſua perſona promiſſus veniet in ultimo adventu, tamen, ſi vultis, etiam aliqvem Eliam in primo adventu, Johannem recipite.

IX.

Ut tantò majorem erroneæ ſententiæ ſuæ fidem conciliare poſſint Pontificii, dicentes Anti-Chriſtum nondum veniſſe, idem cum Judæis ſomniare non erubeſcunt, ipſum ſc. Eliam circa finem mundi adventurum. Nos igitur dictum Malachiæ ipſis ſavere negamus, nam non intelligitur hic dies *horrendus & terribilis*, ut volunt illi, ſed potius *dies tremendus & venerabilis ut Gen. XXVIII. v. 16. Exod. XV. v. 12.* & hoc ſenſu ſumitur etiam *Pſal. CXXX. v. 4.* Et ſane ſeptuaginta Interpretes non ſolum hoc loco per ἐπιφανές verterunt, ſed & *Joel II. v. 11.* ubi in fontibus iisdem verbis, qvæ hic habentur, ex

pri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

primitur dies tremendus & venerabilis, qvam qvoq; translationem *Act. II. v. 20.* approbavit ipſe Sp. Sanctus. Qvinimò diverſo reſpectu, tàm primus, qvàm ſecundus Chriſti adventus, & terribilis, & acceptabilis dici poteſt, pios qvippe delectat, impiis vero horrorem incutit. Nec magis aptè pro ſententia ſua alterum dictum afferunt Pontificii, uti enim de re futura qværunt diſcipuli, ita ſimili modo reſpondet illis Chriſtus. Nam ſecundum Malachiæ vaticinum, qvi futura prædixit, dicebant ſcribæ Eliam venturum, qvod etiam ex mente Malachiæ affirmavit Chriſtus. Poſtea autem taxans Scribas, Eliam Thesbiten exſpectantes, dicit in præterito Eliam veniſſe, unde clarè intelligebant diſcipuli Johannem repræſentare Eliam. Nec deniq; pro illis facit tertium, qvod afferunt, dictum, clarè enim ſe ipſum explicat Chriſtus, qvando dicit: *Ipſe ſc. Johannes eſt Elias ille* (addito articulo) *qvi venturus eſt*, nempe qvi a Propheta Malachia fuit prædictus. Fatemur qvidem & ultrò concedimus Johannem allegoricé fuiſſe Eliam, ſi nomen ſpectemus, qvoad propriam ſc & genuinam, ſignificationem nominis Eliæ, ſi vero reſpiciamus proprium & genuinum ſenſum a Malachia

 inten-

intentum, omninò ad literam Johannem eſſe Eliam aſſerimus.

X.

Abſolvimus jam qvæ Eliæ attinent perſonam, reſtat ut etiam officium ejus tractemus, qvod his includitur verbis: *Et reſtituet omnia*, qvod tamen non ſumendum *univerſaliter & abſolutè*, qvaſi ita omnia reſtitueret ille, ut nihil Chriſto perficiendum relinqveretur, *ſed limitatè & reſtrictè*, qvod ſc: omnia illa, qvæ Eliæ officio tribuit Malachias, expediret, & hoc inde liqvet, qvod pro ἀποκαταστήσει καρδίαν, uti habent ſeptuaginta Interpretes, Chriſtus ſubſtituit ἀποκαταστήσει πάντα, ubi voce πάντα includit ea, qvæ a Propheta recenſentur, nimirum qvod cor patris ad filium & cor hominis ad proximum ſuum converteret. Et qvidem vocem πάντα ita reſtringi debere, patet, tàm ex verbis Angeli, qvàm *Zachariæ*, qvorum ille officium Johannis conſtituit in converſione Filiorum Iſraëlis ad Dominum Deum ipſorum, in converſione cordium patrum ad filios & rebellium ad prudentiam juſtorum; hic vèro in danda converſione ſalutis populo per remiſſionem peccatorum *Luc. I. v. 16.17.76.* Id qvod & revera præſtitit, dicitur enim

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

nim *Marc. I. v. 2. 3.* ſecundum *Malach. c. III v. 1.* qvod pararet viam Chriſti, & ſecundum Prophetiam *Eſ. c. XL. v. 3.* qvod pararet viam Domini, qvæ præparatio non conſiſtit in externa qvadam viæ præparatione, qvaſi purgaret viam ab impiis, ne occurreret malum, ut nugantur (o) *Kimchi & Rashi in Malachiam*, ſed ſecundum phraſin ſcripturæ intelligitur via animi, (p) ſignificans vitæ curſum, inſtitutum & rationem, ita ut conſiſtat in interna mentis præparatione ac mutatione, veraq́; pœnitentia, ut homines propria juſtitia operibusq́; freti & inſtar montium ſeſe extollentes, annunciata ira divina, inſtar vallium deprimerentur, atq́; edocti de adventu & officio Chriſti, humiles & pauperes ſpiritu jam facti, promiſſione Evangelica de gratuita remisſione peccatorum ſeſe erigerent.

XI.

Ut verò officium Eliæ ſeu Johannis *generaliter* circa reſtitutionem omnium verſari monſtravit Chriſtus, ita *ſpecialiter* conſideratum ponitur ab Evangeliſtis in concione pœnitentiæ & adminiſtratione baptismi; His enim duobus abſolvuntur omnia, qvæ ſecundum vaticinia &

(o) Hulſ. Theol. Judaic. p. II. lib. I. p. 283. (p) Glaſſ. Rhetoric. Sacra Tract. I. c. XII. p. 376.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

& effatum Chriſti ad officium illius pertinebant.

XII.

Et qvidem præconium poenitentiæ fuiſſe alterum officii Johannis membrum, claris verbis indicat *Matth. c. III v. 1. 2. Temporibus illis adfuit Johannes Baptiſta prædicans in deſerto Judææ dicensq́; pœnitentiam agite.* Et ſane rem juſtâ æſtimatione ſi menſi fuerimus, fatebimur longè neceſſarium fuiſſe, ut à præconio poënitentiæ viam Domini pararet, qvi huic officio deſtinatus erat, adeò enim tunc temporis in pejora degeneraverant homines, ut penitus excidiſſe videretur verus Dei cultus. Miſſus igitur erat Johannes, ut ad ſalutarem Chriſti cognitionem illos reduceret, qvam ſine prævia vera poenitentia conſeqvi non potuerunt. Debebant enim prius agnoſcere ſe eſſe peccatores, ſuamq́; miſeriam & ex illa emergendi impotentiam, ut ad gratiam Dei & meritum Chriſti confugerent. (q) Uti enim forma poenitentiæ conſiſtit in averſione a malo per contritionem & converſione ad Deum per fidem, ita prius ad poenitentiam agendam compellendi erant, ut hoc

(q) Qvenſted Syſtem. part. III. Cap. IX. Sect. I. Theſ. XII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

hoc pacto à malo converſi ad Deum, vivâ in Chriſtum fide, redirent. Hinc tribuitur illi κήρυξις μετανοίας ad adytum regni cœlorum, ad præparationem viæ ſalutis, ad ὑπόδειξιν φυγῆς ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς atq; ad καρποφορίαν cœleſtem *Matth. III. v. 2. 3. 7.* Hanc κήρυξιν habuit publicè, intrepidè, idq; tantâ conſtantiâ tantôq; animi zelô, ut Eſaias & omnes Evangeliſtæ uno ore conſentiant in laudibus ejus decantandis, tribuentes illi titulum, *vocis clamantis. Eſ. XL. v. 3. Matth. III. v. 3. Marc. I. v. 3. Luc. III. v. 4. Joh. I. v. 23.* Qvin & ipſi Judæi, qvi vitam ejus literis & memoriæ prodiderunt, tantam fatentur fuiſſe ipſius conſtantiam, tantam in obeundo munere alacritatem, ut nihil affectibus, nihil amicitiæ dederit, ſic enim *Joſephus libr. XVIII. antiqv. Judaic. cap. VII.* de eô ſcribit: *Judæis qvibusdam videbatur juſta Dei ultione deletum Herodis exercitum propter Johannem, qvi Baptiſta cognominatus eſt: Hunc enim Herodes necavit, virum optimum, Judæos excitantem ad virtutum ſtudia & imprimis pietatis & juſtitiæ, ſimulq; ad baptismi lavacrum, qvod ita demum Deo gratum fore ajebat, ſi non ab uno alteroq; peccato abſtinerent, ſed, animis prius per juſtitiam mundatis, addant & puritatem corporis.*

XIII.

Qvando verò Johanni præconium poënitentiæ tribuimus, non intelligimus totam ipſius doctrinam circa legem tantùm verſari. Non enim hic ſumitur poënitentia (r) *partialiter* pro ipſa contritione, prout Evangelio contradiſtingvitur, qvæ fidem tanqvam ſecundam poënitentiæ partem excludit, ſed *totaliter*, qvatenus in ſe contritionem & fidem, Legem & Evangelium comprehendit. Miſſus enim erat, ut operâ miniſterii ſui homines deduceret ad fidem & ſalutarem lucis cognitionem, qvæ lux eſt Chriſtus, ut per eum peccatorum remiſſionem impetrarent. Imò digitô monſtravit ipſum agnum Dei tollentem peccata mundi. *Joh. I. v. 6. 7. 8. 29. Luc. III. v. 3.* (s) Unde non immeritò officium Johannis, qvod circa publicum de Meſſia exhibito præconium verſabatur, initium Evangelii dixit *Marcus cap. I. v. 1.*

XIV.

Tractavimus jam prius officii Johannis membrum, reſtat alterum, qvod in adminiſtratione Baptismi conſiſtere diſertè aſſerunt Evangeliſtæ,

(r) Qvenſted l. c. Theſ. V.

(s) Gerhard LL. Tom. III. de Evang. §. 6.

ſtæ, dicentes illum baptizaſſe aqvâ & prædicaſſe baptismum reſipiſcentiæ in remiſſionem peccatorum *Matth. III. v. 11. Marc. I v. 3. 8. Luc. III. v. 3. 16. Joh. I. v. 25. 33. III. v. 23* (t) Fuit igitur ille primus Baptismi adminiſtrator, qvi & ideo dicitur Baptiſta κατ' ἀντονομασίαν, licet poſtea ſolennis facta ſit illius promulgatio & inſtitutio, *Matth. XXVIII. v. 19. Marc. XVI. v 16* (u) Deus autem, cujus ſolius eſt media gratiæ ordinare, ſolus (non tamen exclusâ humanâ Chriſti naturâ) eſt auctor & inſtitutor hujus ſacramenti, cujus etiam juſſu Johannes baptizavit. Fuit enim miſſus à Deo ad baptizandum *Joh. I. v. 33*, & ideo baptismus illius dicitur fuiſſe de cœlo, *Matth. XXI. v. 25.* & qvi baptismum illius detrectarunt, dicuntur conſilium Dei ſpreviſſe *Luc. VII. v. 30.* Materiam verò baptismi Johannis aſſerunt Evangeliſtæ fuiſſe aqvam veram qvidem, ſed non meram, nuspiam enim legimus illum ſolâ aqva baptizaſſe, nec ex hiſtoria ſacra apparet, Spiritum, qvi neqvaqvam ab aqva eſt ſeparandus *Joh. III. v. 5.* baptismo illius defuiſſe. Baptizabat enim ad pöenitentiam in remiſſio-

(t) Gerhard L. Theolog. de Baptiſmo §. 18. & diſput. Giſſ. Tom. V. diſp. XIII.

(u) Qvenſted Part IV. cap. V. Thes. III.

ſionem peccatorum *Matth. III. v. 11. Marc I. v. 4. Luc III. v. 3.* utiq; ergo non nudâ aqvâ baptizavit, nec efficaciâ ſpirituali baptismus ejus fuit deſtitutus; nuda enim aqva ſine Spiritu illam efficaciam habere non potuit.

XV.

(v) Officium autem Johannis, qvatenus circa baptismum verſatur, infeſtant Pontificii, negantes baptismum ejus idem eſſe ſpecie ſacramentum cum baptismo Chriſti. Nos verò contrarium probamus: Habuit enim eandem cauſſam efficientem principalem, eandem materiam, eandem formam. Nec, ſi effectum & cauſſam finalem, remiſſionem peccatorum, iræ divinæ declinationem & regenerationem ſpectemus, illa Johannis baptismo denegari poteſt. Nam & ille *baptizavit baptismo reſipiſcentiæ dicens populo, ut in eum, qvi venturus erat poſt ipſum crederent, hoc eſt in Chriſtum Jeſum. Act. XIX. v. 4.* (x) Ultrò tamen agnoscimus aliqvam differentiam inter baptismum Chriſti & Johannis, qvod accidentia ſc: & circumſtantias, præſertim poſt aſcenſionem Chriſti in cœlos. Baptizavit enim Johannes in venturum Chriſtum:

Licet

(v) Diſp. Giſſ. Tom. V. Diſp. XIII.
(x) Brochm. Syſtema Tom. II. de Sacram. cap. V. Sect. IV.

Licet enim inſtes baptiſmũ Johannis cœpiſſe poſt Chriſtũ natum, nondum tamẽ Chriſtus omnibus officii redemtorii partibus fuit defunctus: Nec præterea niſi ad ſolos Judæos ſeſe extendebat baptiſmus Johannis, nec adfuere viſibilia Spiritus Sti dona *Matth. III. v. 5. Act. XIX. v. 2. 3. 4.* Illam verò, qvam inter baptiſmum Chriſti & Johannis differentiam ponunt Pontificii, duobus imprimis Scripturæ locis probare conantur, primum *ex Matth. III. v. 11. & ex Act. XIX a v. 1. ad 7.* excluſivè. Sed ad primum reſpondemus, agi hic de baptiſmo flaminis, qvem qvoq; futurum eſſe prædixit Chriſtus *Act. I. v. 5.* & in Apoſtolis impletum legimus *Act. II. v. 3. 4.* Ad ſecundum etiam regerimus nomine Spiritus Sti non intelligi gratiam regenerantem, ſed dona extraordinaria Spiritus Sti, qvæ, qvia in baptiſmo Johannis non conferebantur, ideo, qvi baptiſmum hunc ſuſceperant, nihil de iſtis audiverant. Nec ullius anabaptiſmi hic fit mentio, ſed legimus ſaltem Paulum baptizatis à Johanne manus impoſuiſſe, & per hanc manuum impoſitionem collata ipſis fuiſſe dona Spiritus Sti, ita ut lingvis loqverentur & prophetarent.

XVI.

Si vero ad Judæos nos converterimus, gra-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

viores deprehendemus de officio Eliæ errores, nec tamen mirum eſt. Cum enim Johannem, eſſe Eliam acriter negent, ideo & alia ficto ſuo Eliæ tribuunt officia. Conſtituunt qvidem officium ejus *generaliter*, ſecundùm Malachiæ prophetiam, in converſione cordis patrum ad filios & filiorum ad patres, diverſimodè tamen illud interpretantur, licet omnes conſentiant hoc illius officium exerceri debere in die judicii. Sed qvia falsô & ruinosô fundamentô ſuperſtructæ ſponte ſuâ corruunt illorum de officio ejus interpretationes, illas recenſere & refutare non adeo neceſſarium eſſe exiſtimamus. Interim tamen cum adhuc unum Eliæ tribuant officium, qvod ex alio Scripturæ dicto depromunt, nonnihil de eo monebimus; eſt autem illud, qvod Elias inviſibiliter qvotidie intereſſe debeat circumciſioni.

XVII.

Et qvidem conſtans apud Judæos hæc eſt traditio, refert enim *Abarbanel in Mal. III.* ex *Midraſch Aggada* (y) *Eliam zelo affectum eſſe propter fœdus circumciſionis, cum ab Ephraëmitis neglectum eſſet, qvando dixit: Zelando zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, qvia dereliqverunt*

(y) Hulſ. Theolog. Jud. part. II. lib. I. p. 281.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

runt pactum tuum filii Iſrael. I. Reg. XIX. v. 14. Ac Deum ipſi reſpondiſſe, qvia tu zelo affectus es contra apoſtatas propter idololatriam & jam zelo afficeris propter fœdus circumciſionis, per vitam tuam juro, ſi Iſraëlitæ fœdus circumciſionis obſervaturi ſunt, donec ipſe oculis tuis illud videris. Atq; *hinc tempore, qvo fœdus renovabitur, ſolium honoris decernunt Eliæ, cum iſto nomine appelletur Angelus fœderis, cum dicitur Malach. III. v. 1. Et Angelus fœderis, qvo vos delectamini.* (z) Eadem fere habet *R. Eliezer* videatur & *Buxtorfius.* (a)

XVIII.

Gratis verò & ſine fundamento hoc aſſerunt Judæi: ſuppoſitô enim, non conceſſô, Eliam zelo affectum fuiſſe propter neglectam circumciſionem, an ergo ſeqvitur illum circumciſioni intereſſe debere? Deinde nulla cogit neceſſitas, cur per fœdus, cujus ſit mentio *I. Reg. XIX v. 14. ſpecialiter* intelligatur fœdus circumciſionis, cum potius *generaliter* fœdus Dei denotari debet, id qvod & fatetur *Ralbag*, qvi illud ita exponit: *Deſeruerunt fœdus legis.* Iſraelitæ enim tem-

(z) In Pirke cap. XXIX. p. 68. ex verſione Vorſtii.
(a) Synagog. Judaic. cap. II. p. 80. 81.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

tempore Achabi & Iſabelis univerſaliter à vero Dei cultu deflexerant, fuit ideo à Deo excitatus, ut Iſraelem convictum prius peccati ad ſaniorem Dei cultum revocaret. Fuit autem zelus Eliæ ex unâ parte laude dignus, ex altera verò parte intemperatus nimis. Laudabili zelo agebatur, ubi arguebat Regem Achabum, qvi acerbiſſimo cultus Baalitici veneno totum Iſraelem infecit, *I. Reg. XVIII*, in qvo etiam Johannes, ut præcurſor Meſſiæ, ipſi fuit ſimilis, ubi laudabili permotus zelo Phariſæos reprehendit *Matth. III. v. 7*. At poſtea nimia zeli intemperie laborabat Elias (qvâ etiam illius exemplo affecti fuere filii Zebedæi *Luc. IX. v. 54.*) & qvidem eo ipſo tempore, cum in ſpelunca bis à Deo allocutus, qverelam ſuam repetiit, qvod zelo affectus fuerit ob neglectum ab Iſraëlitis fœdus divinum. Fruſtrà igitur hoc dictum pro ſuâ ſententiâ allegant Judæi, qvaſi Deus ita zelotypiam ejus approbaverit, ut propter illam poſtea circumciſioni intereſſet. Et ſanè magis ineptè nugantur Eliam propter fœdus circumciſionis appellari a Malachia *Angelum fœderis*. Ut enim taceamus nos jam probaſſe, per fœdus non intelligi fœdus circumciſionis; reſpondemus

per

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

per Angelum fœderis non ſignificari Eliam, ſed Meſſiam, qvi ſtatim in præcedentibus ejusdem commatis appellatur Dominus, qvod etiam ipſe (b) *Kimchi* apertè fatetur, *Dominus*, inqviens, *deſignat Regem Meſſiam, qvi & ipſe Angelus fœderis eſt.* Ille enim ſtatim veniret ad templum ſuum, eumq́; qværebant Judæi, qvi & expreſſè in textu ab Angelo illo præcurſore diſtingvitur. Meſſias autem dicitur Angelus fœderis, & qvidem *novi* ſive *gratiæ*, qvod *veteri* ſivè *Moſaico* contradiſtingvitur, de qvo *Jeremias XXXI. v. 31. & ſeqv. Ebr. VIII. v. 6. 7. 8. & ſeqv.*

(b) Friſchmuth de angelo fœderis cap. I. ſect. II.

TANTUM.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-221 4° 1274